

Illustr^{mo} et Rever^{mo} D. Roberto Bellarmino S. R. E. Cardinali
amplissimo.

En tibi, Amplissime Cardinalis, vitam Christi D.N. ad eum modum digestam, quam suasisti; in qua nimirum ipsamet verba evangelistarum, et, si quando plures in eadem narratione versantur, singula cuiusque seorsim suis locis distincta proponimus. Ex quo sane omnis illa utilitas statim elucet, quam dicebas. Primum ut ictu quodam oculi contueri liceat, quibus in rebus alter cum altero consentiat, aut discrepet; quoque pacto suppleat iste, quod ab alio praetermissum est; aut distinctius, apertiusque eloquatur, quod brevius ab alio, et obscurius scriptum videbatur. Deinde ut in methodo ista nec verbum ullum sacrae historiae desideretur, nec alia rursus et supervacanea, cum ineptis saepe sententiarum colligationibus redundant; quos scopulos vitare ii vix possunt, qui evangeliorum pandectas, harmoniasve suo ipsi stylo et oratione contexendas suscipiunt. Unde et hoc praeterea, quo illi carent, commodi, quod evangelicae totius anni lectiones, si cui forte de illis meditari est animus, in promptu hic erunt, ut ab ecclesia in missae sacrificio recitari solent. En ergo, inquam, Cardinalis Illustriss. opus tuum dicam potius, quam meum. Tu enim consilio tuo eius author et architectus, ego velut opifex tantum et malleator fui. Quare ut tuum tibi repraesento: quod ut tuum utique dignationem aliquam nanciscetur, et ingratum, ut spero, lectori non erit. Tibi certe quidquid ab eo spiritualis fructus ad pias mentes meditando pervenerit, maxima, praecipuaque ex parte merito debetur. Vale.

Romae Kal. Septemb. MDCVII.

Vita / D.N. Iesu Christi / Ex verbis Evangeliorum in ipsismet /
concinnata / Per R.P. / Bartholomaeum Riccium / Societatis Iesu /
E Castrofidardo X/ Romae / Apud Barthol. Zanettum / 1607.